



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 1. Paschalis II. P.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

S. BERNARDUS.



HISTORIA  
ECCLESIASTICA.  
LIBER LXV.

PASCHALIS II. PAPA.  
HENRICUS IV. IMPERAT. OCC. ALEXIUS  
COMMENUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Paschalis II. Papa.*

Urbano II. Papa fati functo, & Sæculum XI.  
Sede Apostolica non plus die- A.C. 1100.  
bus quindecim vacante, ele- Bertold. an.  
ctus est Rainerius, Cardinalis Presbyter, 1099.  
*Hist. Eccles. Tom. XVI* A titu-

Sæculum XI. titulo S. Clementis. Is Bledæ in Tuscia  
 A.C. 1100. ortus, oppido octo milliaribus Roma dis-  
 sito, a puero in Monasterio Cluniacensi  
 Deo se devovit. Necdum vicenni ma-  
 jorem cum Abbas suus in causa Monaste-  
 rii Romam misisset, Gregorius VII. Pa-  
 pa, cognita juvenis pietate, & in rebus  
 gerendis singulari solertia, sibi retinuit,  
 & aliquamdiu exercitatum, Presbyterum  
 Cardinalem ordinavit. Exinde vero Ab-  
 bas ad S. Paulum\* extra muros electus  
 est.

\*alii S. Lau-  
 rentii.

Postquam vero Urbanus II. rebus hu-  
 manis ereptus fuisset, Cardinales, Episco-  
 pi, Clerici Romani, Urbisque Primores,  
 in Ecclesia S. Clementis ad eligendum  
 Papam congregati, ex pluribus aliis, quos  
 aliqui nominabant, Rainerium Cardina-  
 lem elegerunt. (\*) Ille fuga elabi cona-  
 batur; sed brevi inventus in Congrega-  
 tionem retrahitur. Tum amice incre-  
 pito, quod fugisset, & frustra reclaman-  
 ti, denunciant, ipsum legitimo omnium  
 consensu Papam esse electum, nec ullam  
 superesse viam, qua se Divinæ voluntatis  
 ordinationi subduceret. Mox quidam  
 ex Clericis, mutato ejus nomine, ter ac-  
 clama-

(\*) Ex his studiosus Lector de Electione Sum-  
 mi Pontificis notabit, quod illa ætate Cardinales  
 ad Papatum assumi ceperint, sed necdum soli  
 Papam elegerint.

clamare: *Paschalem Papam S. Petrus ele-* Sæculum XI.  
A.C. 1100.  
*git!* eadem verba repetente toto Conci-  
 lio, additis etiam pluribus aliis enco-  
 miis. Ergo vestitus Cappa purpurea,  
 quæ tunc ornamentum erat, soli Papæ  
 proprium, cum Cardinales violacea ute-  
 rentur. Imponitur capiti Tiara, & equus  
 admovetur, quo vectum tota frequentia  
 inter solemnes cantus ad Lateranum de-  
 ducit. Cum ad Basilicæ Salvatoris por-  
 tam, quæ meridiem spectat, ex equo de-  
 scendisset, in Cathedra Papali illius Ec-  
 clesiæ collocatur. Mox in Palatium  
 ascendit, & cum pervenisset ad duas se-  
 des eburneas, circumdatur cingulo, unde  
 septem claves & totidem sigilla pende-  
 bant, ad significandum septem dona Spi-  
 ritus Sancti, quibus instructus Papa ape-  
 riendi & claudendi potestate utatur.  
 Primum in una & deinde etiam in altera  
 sede paulisper acquiescenti Baculus Pa-  
 storalis traditus est. Ita Paschalis Ec-  
 clesiæ & Palatii Lateranensis possessionem  
 cepit.

Postera die, quæ erat Dominica, de-  
 cima quarta Augusti, anno millesimo no-  
 nagesimo nono, Paschalis in Basilica S.  
 Petri ab Odone Episcopo Ostiensi, assi-  
 stentibus Mauritio Portuensi, Gualterio  
 Albanensi, Bosone Lavicano, Milone Pre-  
 nestino, & Ottone Nepesino, ordinatus  
 est. Episcopus Ostiensis in hac functio-

Sæculum XI. ne Pallio utitur, quod deinde Papæ re-  
A. C. 1100. stituit; ut refert Petrus Pisanus illius ævi  
 Scriptor, a quo ista adjuncta accepimus.  
 Ceterum Paschalis II. Papa Sacram Se-  
 dem annos plus quam octodecim tenuit.  
 Romæ Festum Natalis Domini hoc anno  
 millesimo nonagesimo nono in pace tran-  
 quilla celebravit, & datis literis Legatio-  
 nem Germaniæ ab Antecessore suo Geb-  
 hardo Episcopo Constantiensi collatam  
 confirmavit. Quod testatum facit Ber-  
 toldus, coævus, & ejusdem Ecclesiæ Pres-  
 byter, cujus Chronicum anno millesimo  
 centesimo absolvitur.

*Sup. lib.*  
*LXIII.*  
*Bertold. an.*  
*1100.*

## §. II.

*Godefridi obitus. Balduinus Rex*  
*Jerosolymæ.*

*Ap. Dodech.*  
*an. 1100.*

*Pasch. ep. I.*

*Sup. lib.*  
*LXIV. §.*  
*67.*

**H**aud diu in S. Petri Cathedra federat  
 Paschalis II. cum ei literæ reddun-  
 tur, a Principibus Cruciatorum scriptæ,  
 & non solum ad eum, sed etiam ad omnes  
 Episcopos, omnesque Fideles, directæ,  
 in quibus omnes urbes a Nicea usque ad  
 Sanctam Civitatem a Sacris militibus ex-  
 pugnatæ summam referrebantur. Re-  
 spondit Papa, data epistola, in qua Cru-  
 ciatis tantam gloriam, inprimis inventam  
 Lanceam & Sanctæ Crucis partem gra-  
 tulatur. Tum, quia Daimbertus, Le-  
 gatus suus, in Sedem Patriarchalem Je-  
 rosolymitanam evehctus fuerat, ei Lega-  
 tum